Caput I.

Quantum auctoritatis vulgari recensioni (A) tribuendum sit.

In Hercule Oetaeo Deianira amissum mariti amorem sibi reconciliare cupiens Centauri mandatorum memor, qui moriens sanguinem ex mortifero vulnere defluentem avolsa ungula exceptum mulieri tradiderat, amorem eo defigi posse addens, pallam illa sanie tinctam Herculi mittere statuit. Atque his verbis nutrici id negotii demandat, v. 535:

tu, quam meis admittit arcanis fides,
perge, ut nitentem virus in vestem datum
mentem per artus adeat et *tactu sinus*
intret medullas.

In his mirum est quod Deianira, cum arcanum virus et abdito loco reconditum adferri prius debeat, antequam vestis infici eo possit, non hoc ancillae mandat, sed ita loquitur, ac si eam iubeat negotium perficere ipsam. Sed aliter res procedit. Nutrix enim ubi rediit, et venenum se attulisse et pallam indicat (v. 563) et nunc demum de congerendo veneno pallaque ea peste inficienda admonet (v. 565). Quo fit ut mancum esse suspicari possis reginae sermonem, qualis traditus est talique forsitan sententia supplendum: 'perge [*atque pignus veneris arcano e loco Prome*] ut nitentem e. q. s. Cf. v. 485: 'est in remoto regiae sedis loco Arcana tacitus nostra defendens specus — — Illic amoris pignus Herculei latet.' Sed hoc in transcursu monitum volui.

Locum descripsi qualem F. Leo edidit, vulgarem textus lectionem secutus *tacto sinus,* i. e. vestis contactu. Nam in libris vulgatae recensionis quamquam vitiose scriptum est omnibus *tactus sinus,* tamen quin illud a vetere huius recensionis auctore scriptum fuerit recteque Gruteri coniectura restitutum, procul dubio est. At parum certa est haec scriptura, nam corporis tactu, non sinus venenum vesti additum arcanam vim expromit. Et alio ducunt vestigia scripturae in Etrusco libro traditae. In eo legi *tacitus mas* et Gronovivs testatus est et H. Peter, qui qua ergo amicos fide est et liberalitate, totum codicem in meum et R. Peiperi usum olim exploravit eiusque scripturas diligentissime enotavit. Paulo aliter hunc locum se legisse affirmat F. Leo, qui lectione a Gronovio Petero aliisque ex eodem codice enotata operae suae adhibita librum praestantissimum tanta cura et subtilitate denuo excussit, ut recte spondere posset, si quis eundem codicem rursus aditurus esset, non multa ab ipso neglecta eum inventurum esse. Id quod confirmare possum experimento facto. Quem enim rogavi, ut nonnullorum locorum scripturas, de quibus aliqua dubitatio etiamtum relicta esse videri posset, multasque lectiones contra Peteri silentium traditas, denuo in ipso codice inspiceret, Joannem Tschiedelivm, virum doctum et in codicibus explorandis versatissimum, is verum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vidisse Leonem testatus est praeter haec pauca: Hoc de quo disputatio est loco Leo enotavit '*tactus mas* corruptelae signo addito' se legisse, Tschiedelius retulit scriptum esse: *tacitus mǎs*. Troad. vv. 449. 450 (sed fessus — obtectus coma) in Etrusco desiderari H. Peter significavit, F. Leo utrumque praebet in contextu neque quidquam de eis in apparatu critico addidit. Tschiedelii testimonio constat, utrumque re vera deesse in E. Eadem in fabula v. 987 formam codex praebet Vlixen (*non* Vlixem), Med. 510 ne veniat (Leo *in textu*: non veniat; *in apparatu dicit*: 'ne *in E esse Bothius (e Jac. Gronovii schedis) refert. nihil enotavi*'.), Phaed. 409 educos (Leo: et lucus), HO. 1643: reclini (Leo: reclinis). Hac occasione data non possum silentio praeterire, nostra olim culpa factum esse, ut Peteri opera examinando codici insumpta minus diligens Leoni videretur, quam par erat. Ille enim tantum praestitit, quantum pro rei et temporis ratione praestari poterat ab homine et religiosissimo et artis peritissimo. Cuius acumen quod non nulla fugerunt, nemo harum rerum peritus mirabitur. Nobis autem vel Gronovianis erroribus deceptis vel lectiones Farnabiano quo Peter usus est exemplari pessime impresso in summis marginum vel spatiorum angustiis minutissimis litteris et lineolis adpictas perperam non numquam interpretantibus quomodo evenerit, ut haud pauca ab illo recte enotata parum accurate redderemus, fusius explicare non attinet.

Sed redeo ad propositum. De genuinae autem scripturae vestigiis quoniam nunc constat, nescio an haec elicienda sit vetus lectio:

mentem per artus adeat et *tacitum means*
intret medullas.

Cf. Med. 836: meet in pectus venasque calor. Luc. III, 649: Discursusque animae diversa in membra meantis.

Hoc igitur loco F. Leo ut vulgarem lectionem in textum recepit, neglecta meliore, sic aliis locis vulgarem prae Etrusca immerito sprevisse dicendus est.

Exemplum dabo ad id quod hac disputatione sequor apprime aptum, Troad. v. 503 sq. Sed antequam de scripturae differentia verba faciam, vitium quoddam in dispositione versuum proxime antecedentium (v. 487—497) etiam post Leonis curas relictum emendare liceat. Quorum ordo quamquam a Leone (I, 217 sq.) in universum egregie restitutus est, uno tamen incommodo adhuc laborat. Senex enim, cum quo Andromache de filiolo in tutum locum abscondendo deliberat, dicit, hanc unam rem multos ab interitu arcuisse, ut periisse crederentur. Cui cum Andromache respondet nullam spem relictam esse, quoniam magnae nobilitatis pondere Hectoris filius prematur, nihil aliud dicit quam hoc: Non credent illum periisse, quoniam tantae nobilitatis est. At hoc absurdum est, nam 'aequa tellus pauperi recluditur regumque pueris'. Sed alius est huius disputationis locus, cui optime illud argumentum conveniat. Regina dicit v. 494: Pone, puerum ad tempus tuto latuisse, tamen postmodum in manus hostium veniet; quam dubitationem ita senex tollere studet, ut primos tantummodo hostis impetus timendos esse dicat; primo furori ubi satisfactum fuerit, mitiorem illum fore. Ad hanc sententiam refellendam apte a regina nobilitas pueri opponitur. Idem sentit, quod Vlixes fatetur v. 529:

sollicita Danaos pacis incertae fides
semper tenebit, semper a tergo timor
respicere coget arma nec poni sinet,
dum Phrygibus animos natus eversis dabit.

quoniam 'generosa in ortus semina exurgunt suos.' Reliqua recte Leo disposuit, nisi quod v. 492 parum concinne inter Andromacham et senem divisit. Quae si recte disputata sunt, versuum dispositio in universum a Leone recte constituta sic erit postremis versibus emendanda:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

487. Sudor per artus frigidus totos cadit:
488. Omen tremesco misera feralis loci.
497. S. Miser occupat praesidia, securus legat.
496. A. Quid quod latere sine metu magno nequit?
492. S. Ne prodat aliquis, amove testes doli.
493. A. Si quaeret hostis? S. Vrbe in eversa perit.
489. Haec causa multos una ab interitu arcuit:
490. Credi perisse. A. Vix spei quicquam est super:
494. Quid proderit latuisse redituro in manus?
495. S. Victor feroces impetus primos habet.
491. A. Grave pondus illum magna nobilitas premit. —

Nihilo deinde setius anxia mater, quia praeclusis omnibus fugae itineribus nihil aliud sibi reliquum esse videt, tumulo puerum condere animum inducit, id demum solatii captans, ut ab ipso Hectore opem et tutelam quaerat:

Quis feret trepidis opem?
Quis proteget? qui semper, etiamnum tuos,
Hector, tuere: coniugis furtum piae
Serva et fideli cinere victurum excipe.

Quibus tum verbis puerum iubet tumulo accedere, ea sic scripta sunt in Leonis editione (cf. I, 2):

Succede tumulo, nate — quid retro fugis
tutasque latebras spernis? agnosco indolem:
pudet timere.

In E traditum est inepte *turrisque*, in A *turpesque;* quod Leo scripsit *tutasque*, ex codice Ambrosiano quodam (illi M nuncupato) sumpsit, quem primus inspexit et examinavit, et cum Vaticano quodam (N) item ab eo excusso ex uno eodemque Etrusci apographo (Σ) nunc deperdito fluxisse docuit. Eundem codicem eo quidem tempore confectum esse, antequam Etruscus ipse correctorem illum passus sit, quem vulgares scripturas hic illic margini intulisse, genuinas non nullas erasisse constat, argumentis, ut mihi quidem videtur, certissimis demonstravit (I, 6—15); hoc tamen nego, quod idem statuit, ubicumque prima manus Etrusci perierit, codices M et N certos nos habere pristinae lectionis testes. Nam ut omittam persaepe illos inter se dissentire, etiam ubi consentiunt, quamquam veram praebent veteris apographi imaginem, tamen multum abest, ut ea ubique pro genuina Etrusci lectione haberi possit. Nam, ut idem Leo docuit, apographum illud Etrusci collatum fuit cum interpolatae recensionis exemplari, e quo variam lectionem corrector vel adnotavit vel in ipsum textum recepit. Veteris autem illius apographi deperditi quae hodie supersunt duo apographa (M et N), varia lectione a correctore veteri libro adscripta diverse usi sunt. Quam, ut Leonem referentem faciam ipsum (p. 7) 'vel alter, vel uterque in verborum contextum recepit marginive variae lectionis loco adpinxit, vel denique utramque scripturam coniunxere variaeve partem tantum recepere', id quod luculentis exemplis deinceps illustratur. Quae cum ita sint, horum codicum scripturis non inutili quidem, sed lubrico utique utimur praesidio neque tantum ex his opibus tragoediarum emendatio percepit fructum, quantum ipse earum inventor et subtilis interpres percipi posse speravit. Sed, ut revertar ad propositum, fateor me nescire, quibus argumentis nisus F. Leo scripturam *tutasque* codicis M pro vera et pristina vendiderit. In E est *turrisque*;

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quid in vetere fuerit eius apographo, non liquet, nam de codicis N scriptura nihil adnotatur, unde eam vel *turrisque* quod est in E, vel *turpesque* quod est in A fuisse concludas. Illud si verum est, sic etiam fuit in E scriptum; sin hoc, ex varia lectione in hoc codice adscripta librarius sumpsit. Vtcumque res se habet, hoc certum est, lectionem a Leone in textum receptam non redire ad vetustam auctoritatem. Neque est quod a tradito antiquitus lectionis fundamento recedamus. Recte enim vidit Aem. Baehrens (Misc. crit. p. 11), in archetypo vetere accusativi forma scriptum fuisse *turpis* et sic interpretandam esse Andromachae quaestionem: 'Quid tu latebras tamquam tibi turpes vultu aversaris?', quod illustrari versibus insequentibus, in quibus mater suae ipsius rogationi respondeat. Malim tamen dividi matris quaestionem et una litterula expulsa sic legi: 'quid retro fugis? Turpes*ne* latebras spernis?' Iam vero eo perveni, ut vulgari lectionis recensioni plus auctoritatis tribuendam esse, quam Leo concessit, certis argumentis mihi demonstrandum sit. Sed antea moneo, emendatam et genuinam huius recensionis lectionem me intellegere solam, non illam posteriorum librariorum erroribus depravatam, quam in editionibus et nostra et Leonis eadem littera A significari moleste fero. Cuius depravatae lectionis textum quanti esset momenti, novis subsidiis rectius quam antea constitui, Rvdolphvs Peiper monuit et qua id via et ratione fieri posset, subtiliter docuit libello 'De Senecae tragoediarum lectione vulgata', Vratislaviae 1893 edito.

Ac Leo I, 4 sic statuit, 'ne in eis quidem quae corrupte Etruscus praebeat, ullam esse vulgaris lectionis auctoritatem. Etrusci igitur corruptelas utique emendandas, nusquam recipiendas esse interpolatoris coniecturas (dicere debebat: lectiones, quoniam non de coniecturis tantum hoc fert iudicium), nisi aut verum ab illo inventum esse — id quod perraro accidit nec saepe contingere potuit ei qui veritatis simulacrum quoddam, non veritatem sectaretur — aut Etrusci scripturam post interpolatoris operam vitium traxisse certa ratione constiterit;' id quod fieri potuisse ita probat, ut librum Etruscum non ex ipso, quo interpolator usus sit, libro descriptum, sed 'per multas librariorum manus' propagatum esse statuat. At huic opinioni obstat, quod Etruscum codicem e libro uncialibus exarato non distinctis inter se contextus verbis descriptum esse certissimis indiciis patet (cf. Leo 1,8 sq.) Quare si non ex ipso archetypo fluxit — quamquam ne hoc statuamus nulla re prohibemur —, tamen quin ex libro vetustissimo et illius aetati proximo transscriptus sit, minime dubium est. Quidni igitur negemus, fieri potuisse, ut interpolatae recensionis auctor, quem multa rectius quam E scripta praebere Leo ipse lectionibus eius sexcentis locis in textum receptis testatur, non nulla quae in archetypo erant et legeret et scriberet rectius? Quod cum per se verisimile est, tum factum esse revera demonstratur foliis illis palimpsestis Ambrosianis, quorum uberrimam Gvilelmvs Stvdemvnd nobis largitus est cognitionem (Leo II p. XV sqq.). Quae cum antea non potuerint aestimari nisi paucis illis lectionibus, quae F. Ritschelivs 'festinante calamo' olim enotaverat, (Parerg. Plaut. I, 305 sq.), talibus quidem, ut cum vulgari recensione plerumque consentire viderentur, nunc tamen ipso fragmentorum apographo publici iuris facto (Leo II p. XX. sqq.) de vera eorum natura non potest amplius dubitari. Ac Studemund ipse rectissime statuit, multo ea propius ad E accedere quam ad A recensionem. 'Nam, ut ait, aut omnia fallunt, aut R ex eodem archetypo derivatus est ex quo E, cum quo codice et bonas lectiones multas et falsas non paucas communes habet etiam eis locis, ubi recensio A ab RE discrepat.' Hoc verum esse ex hoc lectionum conspectu apparebit. Atque his locis unus R veram praebet scripturam:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

R:	Med. 220	eripuit exilio	EA eripuit et exilio
	256	quippe quem	A quippe te, E quippe
	267	cui feminae (*lit.* e *incerta*) nequitia	EA cui feminea neq.
	Oed. 422	inde iam molles (*Studemund: littera quinta non videtur T fuisse.*)	EA i. tam m.
	O. 427	Gangen	EA Gangem

Consensum cum E praebet R his locis. In veris:

M. 240	primum	A primus
252	violentus	„ violenter
266	tu tu	„ sed tu
267	audenda (*sed* E^2 *ex*: audende)	„ audendum
268	robur virile est (lit. e *incerta*)	„ virile robur *om.* est
740	comprecor	„ vos precor
O. 398	regnorum nefas	„ regnorum est nefas
428	Araxen	„ Araxem
510	exprome	„ expone
523	ulla	„ nulla
538	bacas	„ baccis
544	ramos	„ ramis

Consensus RE in falsis:

M. 213	durescunt	A dulcescunt, recte. cf. Plin. N. H. 4,79 de Istro: in XL milia passuum longitudinis vinci mare dulcemque intellegi haustum, 6,51: Scytharum populi — haustum ipsius maris dulcem esse et Alexander Magnus prodidit,
219	rabida	A rapida
248	dextra (*litt.* e x a *incertae*)	„ dextrae
698	ophiucus	„ ophiuchus
701	manus	„ manu
O. 404	armatus *(sic etiam Thuaneus)*	„ armate, (*unde Peiper restituit*: armate et)
423	fluuidumque	„ fluidumque
516	est	„ et

Aliis nec paucis locis R cum A consentire idem Studemund recte dixit, id quod hic conspectus docet:

Consensus R A in veris:

M. 226	Graeciae florem	E gloriae florem
233	ducum taceo ducem	„ ducem t. ducum
700	python	„ phyton
731	gramina ac	„ *om.* ac
736	his gelida	„ dis g.
744	ixion	„ oxyon
O. 402	populare	„ pupolare
411	erebi	„ herebi
417	revocare	„ renovare

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

426	vasta	E′ *corr. ex:* veste
508	formosi	E formonsi
517	sanari	„ sanare
521	mitteris	„ mittes
536	fessa	„ spissa. Non dubito quin fessa radix

pro fracta vel putrida poetico colore recte dictum sit.

Consensus RA in falsis:

M. 204	hoc caput (*litt.* oc, ut *inc.*)	E hoc putet
241	fraglanti (A flagranti)	„ flammanti

Ex his duabus lectionibus, ubi errores RA communes habent, prior ad rem nihil facit, nam hoc vitium non ad genuinum interpolatoris textum redire certissimum est. Natum est ex posterioris cuiusdam librarii errore. Et talis est error, ut plus semel a diversis committi potuerit. Fac in archetypo scriptum fuisse HOC PVT≡, ultimis litteris detersis vel paulo oblitteratis, fieri facillime potuit, ut librarius legere sibi videretur HOC(CA)PVT. De altero loco infra videbimus. Iam poteris diiudicare, quid de R et A consensu necessario statuendum sit. Hoc enim certum est, nullam lectionem interpolatae recensionis vere propriam in fragmentorum lectionibus extare praeter unam illam; nec minus certum, communes R et A lectiones tantum non omnes eiusmodi esse, ut quin sic in archetypo scriptae fuerint nihil causae sit, quod dubitemus. Quare non possum Studemundo assentiri, qui illum consensum non aliter censet explicari posse, quam ex varia quadam lectione ex codice interpolatae recensionis archetypo in eum librum, unde E et R fluxerunt, translata. Imo statuendum erit, consensum lectionis Ambrosianae cum A nihil aliud esse, quam utriusque cum archetypo consensum. Quare quoniam R et A illis locis paene omnibus lectiones praebent emendatiores libro Etrusco, et R et A rectius eas et legisse et scripsisse quam E pro certo et explorato habendum est. Fieri potuisse, ut aliquot lectiones ex interpolata recensione in illum librum, quem communem codicum R et E fontem fuisse verisimile est, non negaverim, sed hoc nego, huic opinioni satis praesidii esse paratum in una illa lectione, quae in singulari errore utrumque librum consentientem habet, neque tamen eiusmodi est, ut non possit alio quodam casu nata esse. Errant igitur si qui dicunt, in foliis illis rescriptis utriusque recensionis scripturas coniunctas inveniri. (Sic Ladek l. c. p. 1).

Vnum adhuc consulto omisi locum (Med. 249), quo R magis cum A quam cum E facere videatur, re vera ita comparatum, ut lectionem ab R traditam non ex interpolatae recensionis codice, sed ex ipso archetypo fluxisse appareat.

Medea orat Creontem, ne in exilium sola eiciatur sedesque sibi qualiscunque in ipso eius regno concedatur. Eius verba sic tradit R: terram ac miseris angulum et sedem rogo latebrasque viles etc. E: terram miseriis ang. ac s. rogo e. q. s. A: terra hac miseriis angulum et s. r.

Patet in archetypo fuisse:

terram (R E) ac (R, hac A) miseriis (E A) angulum et (R A) s. r.

levi mendo affectum, quod A sustulit scribens:

terra hac miseriis angulum et s. r.

sine dubio recte; in tuo scilicet regno, non in alieno. Quod cur spreverit Leo, postquam de rescripti lectione constitit, non assequor. Neque quod ipse de coniectura in contextum recepit: *iterum* m. ang. ac s. r. satis convenit sententiae, nam latebras viles mulier nunc primum expetit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Consensu inter A et R conspicuo magnum sane paratur praesidium auctoritati veteris interpolatoris. Cuius interpolationes ut simpliciter sunt expellendae, sic ceterae eius lectiones, ubicumque ab E discedunt, ad textum constituendum diligenter sunt adhibendae. Nam quod eis locis de quibus disputavimus factum esse evincitur rescripti codicis testimonio, rectius scilicet haud pauca interpolatorem legisse et in suum librum transscripsisse, quam eum qui codicem E vel eius archetypum aliquod exaravit, idem aliis locis, ubi tali testimonio destituti sumus, fieri potuisse cur praefracte negemus? Quamquam fateor et in hoc Leoni assentior, in vulgari lectione adhibenda summa cautione opus esse, ne interpolatoris artificio et sollertia decipiaris. Multa scilicet nitent et primo obtutu Etruscae lectioni praestare videntur, quae accuratius rem examinanti damnanda sunt. Nam interpolatae recensionis differentia quamquam hodie quoque dubito an eis etiam locis, ubi totae sententiae aliter leguntur neque tamen ulla mutatae consulto lectionis ratio perspici possit, non ad dittographiam potius antiquitus traditam quam ad meram interpolatoris libidinem revocanda sit, tamen hoc in nulla versatur dubitatione, quin totum tragoediarum corpus eo consilio ab auctore recensionis R pertractatum sit et perpolitum, ut legentibus textum proponeret non tam genuinum et verum, quam facilem intellectu et rotundum. Neque adduci possum, ut eorum sententiae assentiar, si qui noviciorum criticorum parem utrique recensioni auctoritatem vindicandam esse censeant. (Velut P. Meltzer in commentatione de Hercule Oetaeo Annaeana Chemnitii 1890 edita). Nam interpolatoris lectiones quisquis paulo accuratius examinaverit, quanta ille in immutanda ad ludibrium lectione audacia et libidine versatus sit, non sine admiratione quadam intelleget.

Nec sane difficile est in eis quae singularia sunt et conspicua, correctoris audaciam cognoscere, sed saepe est, ubi occultior eius sedulitas lectorem parum vigilantem fugiat. Sed diligentius eius industriam observantes et quasi custodientes non fallet, dedita opera hoc eum secutum esse, ut elocutionis et structurae difficultates et exquisitiores elegantias removeret, id prae ceteris agens, ut facile et commode tragoedias lecturi intellegerent. Sic, ut pauca commemorem, tmesin sustulit Med. 605 sq. conspicuam (rumpe nec sacro violente sancta foedera mundi, *pro qua scripsit:* r. n. sancti violente mundi foedera sacra), item constructionem vel collocationem verborum elegantiorem (hypallagen Hf. 475. 1270 M. 570. Tro. 159. 251 etc., chiasmum Hf. 470. 1270, hyperbaton Hf. 769, geminationem Hf. 523 M. 266 Tro. 739); exquisitas loquendi vel construendi formulas facilioribus compensavit, velut Hf. 24 scripsit: in cuius ortu mundus impendit diem *pro:* ortus, 213 nec ulla requies tempus aut ullum datur *pro:* vacat; 370 sociemur animos *pro:* sociemur animis, 438 caelitum penetrat domos *pro:* sperat, 916 nobiles Dirces aquas *pro:* nobilis Dircen aquae, 1157 exurge, victor *pro:* virtus, O. 538 amara baccis *pro:* a. bacas, 544 (arbor) diffusa ramis *pro:* ramos, Tr. 547 post annos decem *pro:* p. hiemes decem, alia eiusdem generis innumera, quae si quis accuratius persequi volet, fructu non carebit.

Quae cum ita sint, multo sane simplicius cederet opera tragoediarum recensionis et emendationis, si prorsus abiici et nihili pendi fas esset interpolatoris lectiones. Sed quoniam certum est, non pauca verius ab eo esse ex communi fonte reddita quam in altera recensione extant, eundemque constat, etsi nonnumquam veterem lectionem tanta violentia immutaverit, ut ne volam quidem ac vestigium eius relinqueret, alia mutasse quidem, sed ita mutasse, ut quid in archetypo legerit, cognosci etiam possit, multa denique intacta reliquisse: de adhibenda vulgari lectione sic equidem statuo, ut unoquoque loco, ubi non certa ratione de interpolatione constiterit, archetypi imaginem ex utriusque recensionis lectione collata refi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ciendam esse, eis autem locis, ubi levis extet lectionis differentia et ita comparata, ut utraque metro et sententiae convenire videatur, eam censeam esse praeferendam, quae subtili examinatione adhibita verior et ipso poeta dignior existimanda sit. Atque F. Leo, qui in universum et recensoris et emendatoris officio egregie functus est, nonnumquam tamen immerito vulgaris lectionis taedio ductus in lectione constituenda errasse videtur. Id quod paucis exemplis, sed ad rem appositis nunc demonstrabo.

In loco conclamato Herculis Oetaei v. 1459, quem F. Leo certa ratione emendasse sibi visus est (I, 30), Hercules ab Hyllo filio edoctus, matrem morte voluntaria poenas dedisse sceleris quod inscia et Centauri dolo decepta in maritum admiserit, haec effatur:

Recte dolor es (*sic* E, Caeci dolores A): manibus irati Herculis
occidere meruit; perdidit comitem Lichas.
saevire in ipsum corpus exanime impetus
atque ira cogit.

Apparet aegre ferre Herculem Deianiram voluntaria morte peremptam, idque verbis illis expressum fuisse, quae corrupte sunt tradita. Quae F. Leo, lectionis vulgaris ratione non habita, ex vestigiis lectionis ab E traditae sic restituenda censuit: Re*li*cte dolor es e. q. s. Sic dici latine posse non nego et demonstravit Leo exemplis ex ipsis his tragoediis petitis. Tamen quod ferendum esset, si de poetae verbis constaret, idem non ita facile toleramus a coniectura profectum. Nam aptissime quidem Medea loco a Leone allato (v. 139) dolorem suum loqui iubet. Mira autem Herculis deceptum et doloris fructu fraudatum se sentientis ipsius doloris appellatio. Nec minus mirus relictus dolor decepti loco. Atque Herculem, mulieris fraude atrociter se perire credentem, gravissimam sceleris ultionem avide et impatienter exposcentem, ubi certior fit de ultione quam sumpturum se esse speraverat irrita facta, nihil prius sentire consentaneum est, nisi hoc, a muliere quae viva dolo ac fraude ipsum pessumdederit, ab eadem vel moribunda se esse deceptum. Quare non tam doloris, quam doli mentionem facere putandus est. Quod reputans et traditam in utraque recensione lectionem perpendens, non ita diversam, ut non possit ad communem referri fontem, sic mihi persuadeo antiquitus scriptum fuisse:

ceci*dit* dolo*se*: manibus irati Herculis
occidere debuit.

CECI pro RECT legi a librario oscitante et saepe aliud agente, qualis in hac potissimum fabula toties deprehenditur (Leo I, 4), facile potuisse patet et pro RECTE accipi proximis litteris detersis vel vitio praecedentis scribae omissis. Interpolator vera vitii sede non indagata correctoris officio, hoc quidem loco satis modeste, ita functus est, ut scriberet: caeci dolores. —

Troad. v. 8—14. In fabulae exordio Hecuba quam fragili loco stent superbi, suam ipsius et Troiae fortunam maximo docet esse documento. Occidisse eversum pollentis Asiae columen, ipsa divorum ope et labore olim extructum:

ad cuius arma venit et quae (qui A) frigidum
septena Tanain ora pandentem bibit
10 et qui renatum primis (prorsus A) excipiens diem
tepidum rubenti Tigrin inmiscet freto
et quae vagos vicina prospiciens Scythas
ripam catervis Ponticam viduis ferit,
excisa ferro est, Pergamum incubuit sibi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quae quo voluerit poeta periodi ordine decurrere, difficile est dictu. Id tamen patet, tria illa enuntiata relativa duplici modo coniungi posse cum orationis contextu. Aut obtinent locum attributorum sententiae antecedenti additorum, ut dictum esse statuatur: occidisse Troiam, eversum esse columen Asiae, quamvis Amazones et Aurorae filius opem ei tulerint, et propria tum sententia additum sit: Troiam ferro esse excisam, Pergamum sibi incubuisse; aut membra illa relativa prodosin efficiunt, quibus v. 14 ut apodosis respondeat: Illa Troia, cui laboranti potentissimi socii aderant, nihilominus excisa est. Hanc tamen construendi rationem ne sequamur prohibemur eo, quod, ut recte Leo monuit (I, 209), sic *excisa ferro est* nihil habet quo referatur. Gronovius alteram, quam dixi periodi construendae rationem amplexus, distinctione finali post v. 13 posita, sequentem versum conformavit talem:

Excisa ferro est Pergamum, incubuit sibi.

Neque tamen potuit probare, ut Ilium sic etiam Pergamum modo neutro modo feminino genere usurpatum fuisse. Quod quamquam fieri omnino potuisse quominus neges nulla ratio obstat, scilicit ut Pergamum cum feminino attributo coniungeretur eadem synesi (urbe vel arce suppleta), qua totiens Ilion cum feminino poetae coniunxerunt, ut exempla docent ab Heinsio (ad Ov. Her. I, 48) aliisque collecta, tamen factum esse exemplis probari nequit, et Seneca Ag. 421 habet: Pergamum omne. Hoc igitur apparet, locum de quo disputamus, sic ut traditus est, ad sanam structuram redigi non posse.

Verum a forma orationis ad ipsas res animum advertamus. Ac Penthesileam, Amazonum reginam, ita significari Leo observavit, quasi diversae personae inferrentur. Id pro aperto interpolationis indicio habens, alteram commemorationem ex orationis contextu semovit. Cui ea non parvi ponderis commendatio accedit, quod sublatis illis versibus nihil iam obstat, quominus in apodosi (v. 14) subiecti loco intellegamus Troiae notionem. Tamen ne festinantius in Leonis sententiam abeamus cavendum est, quem vereor ne hic quoque nimium vulgatae lectionis fastidium in errorem induxerit. Legitur autem in libris interpolatae recensionis v. 8: 'ad cuius arma venit et *qui* frigidum septena Tanain ora pandentem bibit', ut non Amazonum reginae, sed Rhesi Thracum regis eiusque auxiliorum significatio fiat. Nam quod Tanai hoc versu tribuitur quod Istri est, ut per septem ora in mare defluat, id iam veteres tragoediarum commentatores solito poetae errore factum esse intellexerunt, Istrum cum Tanai confundentis. Nat. quaest. VI, 7, 1: 'Danubius — Sarmaticos impetus cohibens et Europam Asiamque disterminans.' Hac autem lectione recepta de duobus quae indicavimus vitiis alterum tollitur, restat alterum. Ad quod sanandum non tamen ferro opus est, sed levior medela adhibenda. Versibus enim quos interpolatos esse affirmat Leo, non demonstrat, pristino loco, unde casu deturbati sunt, restitutis omnis offensio mihi quidem videtur tolli posse, ut haec sit emendatae orationis imago:

8 ad cuius arma venit et qui frigidum
septena Tanain ora pandentem bibit,
12 et quae vagos vicina prospiciens Scythas
13 ripam catervis Ponticam viduis ferit,
10 et qui renatum primus excipiens diem
11 tepidum rubenti Tigrin inmiscet freto:
14 excisa ferro est, Pergamum incubuit sibi.

Quid autem est quod sic merito vituperari possit? Non iam bis ab Hecuba commemorantur Amazonum auxilia, sed Rhesi, Memnonis, Penthesileae inter se diversa neque hoc versuum ordine quicquam obstat, quominus v. 14 Troia intellegatur. Neque illud laudandum, quod Leo versus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

expulit, nulla rerum et sententiae difficultate suspectos, imo eleganter sermone et numeris confictos, tales reliquit, quos duplici vitio ipse contaminatos putat, illos dico de Memnone dictos:

et qui renatum primus excipiens diem
tepidum rubenti Tigrin inmiscet freto.

quorum duas ob rationes alterum dicit ineptissimum: 'primum Tigrin mari rubro excipi audimus — quod ferimus si cogimur; dein Assyrios ipsos flumen mari inmiscere, quale nemo umquam dixit.' Quamquam ne haec quidem recte vituperavit. Nam rubri maris appellationem de sinu Persico vel etiam toto illo mari Indico in usu antiquitus fuisse satis nota res est. Audias e. g. Herodotum VI. 20: *βασιλεὺς, — κατοίκισε ἐπὶ τῇ Ἐρυθρῇ καλουμένῃ θαλάσσῃ ἐν Ἄμπῃ πόλι, παρ' ἣν Τίγρης ποταμὸς παραρρέων εἰς θάλασσαν ἐξίει.* Neque alterum erat quod infelici coniectura (*mero*, omissa recte in editione) tentaret. Non enim video cur recte quidem a poetis dicantur homines flumen aliquod bibere qui sunt eius accolae, inepte tamen et inaudite flumen mari inmiscere qui in regionibus ostio fluminis vicinis habitant.

Hoc postremo animadvertendum duxi, periodum quam in ordinem redegimus tragici poetae, simili numero defluere, quo ea quam Horatius effinxit epod. 16. Vbi ut antecedit sententia principalis, suis et ipsam ruere Romam viribus, sequitur subtilior sententiae divisio, periodo a multipartita prodosi relativa ineunte et exeunte in apodosin demonstrativam (Quem neque finitimi valuerunt perdere Marsi, nec — neque — Impia perdemus devoti sanguinis aetas e. q. s.), sic in Hecubae de Troiae excidio declamatione antecedit summa sententiae: columen Asiae cecidit, sequitur periodus ita conformata, ut praemissam prodosin relativam tripartitam excipiat principalis sententiae variata repetitio.

Addo brevem de proximis versibus disputationem, in quibus recensendis et ipsis Leo Etruscae scripturae nimium tribuisse videtur. Hoc dicit Hecuba excisae urbis imaginem depingens:

v. 15 en alta muri decora congestis iacent
tectis adusti.

Sic cum Florentino Leo edidit, id parvipendens, lapideos muros non posse incendio deleri; lapidea autem poeta cogitavit moenia, non lignea, ut veteris Athenarum arcis, ubique ex suae aetatis moribus et institutis heroicorum temporum et res et homines effingens. Recensio A hoc quoque loco vestigium veri retinet, quae *congesti* pro *congestis* praebet et: tectis adus*tis*. Nempe aedificia ligneis trabibus exstructa incendio deleta sunt (cf. v. 1085 semusta — tecta), moenia tantummodo diruta vel disiecta, ut non dubitem quin verum sit quod Peiperus mecum communicavit:

en alta muri decora *disiecti* iacent
tectis adus*tis*.

Agam. 545. Aiax vel Minervae fulmine percussus et rate igne discisso, exitio tamen adhuc se eripiens, fluctibus pectore divisis, ardentem complexus navem furibunda voce exclamat:

superasse nunc pelagus atque ignes iuvat

sic E una syllaba omissa, quam sic explet A:

superasse nunc *se* p. a. i. iuvat

voluit nisi fallor '*me*', nam illud non quadrare ad directam orationem sane corrector vidit. Leo scripsit de coniectura: superasse *iuvit*, de Wilamovitz: s. *novi*, discrimine inter id quod superatum est ab Aiace et futurum est ut superetur, non satis claro. Testium consensu *nunc* in archetypo fuisse constat, in quo post hoc verbum ut vestigium quoddam fuisse

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

omissae a librario voculae censeam, lectione recensionis A adducor. Verum procul dubio est:

superasse nunc *en* pelagus atque ignes iuvat,

quod aliis verbis proximo versu, ut moris est huic poetae, variatur et amplificatur:

vicisse caelum Palladem, fulmen mare.

Breviter moneo v. 534 huius descriptionis scribendum esse:

vela cogentem hunc sua
tento rudente flamma praestrinxit (codd: *perstr.*) cadens.

Nam altero demum fulmine a Pallade librato percutitur (v. 535—537).

Transeo ad locum non solum vulgaris lectionis ope emendandum, sed etiam vetusto additamento liberandum.

Agam. 474—87. In descriptione tempestatis Graecorum classi Troia redeuntium a Pallade inmissae haec sunt Eurybatis verba:

undique incumbunt simul
475 rapiuntque pelagus infimum everso polo
adversus Euro Zephyrus et Boreae Notus.

Quod scripsi v. 475 scriptura est Etrusci codicis, absurda nimirum, cui ita succurrit F. Leo, ut scribendum censeat: 'infimum *venti* polo', quasi non paulo ante v. 471 dixerit poeta: 'in astra pontus tollitur', et delendum v. 476, cui non convenire cum sequentibus affirmat. Fastidivit immerito scripturam vulgatae recensionis 'infimo eversum solo', aptam sane et emendatam; Cf. Verg. Aen. II, 419: 'imo Nereus ciet aequora fundo' et Sen. Phaed. 958, ubi cum Peipero scribendum est: fluctusque ab imo (ipsos E) tumidus Oceano voca. Neque erat quod ventorum catalogum in suspicionem vocaret, quem ex Homero (E 295 sq.) sumpsit poeta (*Σὺν δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἔπεσε Ζέφυρός τε δυσαὴς καὶ Βορέας αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων*), iam alibi ab eo expressum Nat. Quaest. V., 16: 'Vna Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis Africus.' Non quidem in eo offendit Leo, ut ipse dicit p. 382, quod in sequenti tempestatis descriptione Notus et Eurus iterum, sed quod ita nominentur (481, 482), quasi nunc demum ventis reliquis accedant. Vidit sane vir acutissimus, difficultate aliqua laborare poetae descriptionem, sed quae sedes esset operti scopuli non perspexit. Ea autem est descriptionis ratio, ut ventorum in pelago deproeliantium certamine breviter indicato (v. 476), quae vis singulorum sit et potestas accuratius deinceps depingatur. Aquilonem scilicet, sic vocat quem Boream supra dixerat, nives contorquere, Austrum (est Notus modo dictus) Syrtium harenas concitare (harenas agit et Syrtes *ἓν διὰ δυοῖν*, non probanda Gronovii explicatio nimis artificiosa) eundemque contractis imbribus maris undas augere (Verg. Aen. V, 696: Turbidus imber aqua densisque nigerrimus austris. Quem versum Lucanus respexit V, 608), Eurum orientem movere, Corum denique (est Zephyrus supra nominatus) Atlanteo oceano caput exerere. cf. Hf. 594 de Phoebo: inlustre latis exeris terris caput; et Lucani locum infra allatum). Haec omnia recte procedunt praeter v. 481, quem consulto adhuc omisi. Vide autem quam moleste et inficete descriptionem defoedet! Postquam dictum est Austrum Libycum harenas ac Syrtes egisse, pergitur:

nec manet in Austro, fit gravis nimbis Notus,
imbre auget undas.

Quid, quaeso, significatur non manere in Austro? Maris dominium aiunt qui quaslibet ineptias aequo animo ferunt et pro sanis interpretantur. At non penes unum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ventum erat maris dominium, de quo omnes nimirum decertant. Ac porro quis novus inducitur ventus, ad quem cessisse putandum sit maris dominium? An Notus? Nescit igitur ineptus interpolator et doctrinae veterum incuriosus, eundem hunc esse atque Austrum, et quattuor tantum ventos cardinales discerni? Potuit discere ex Suetonio in Prato veterum de ventis doctrinam complectente (Reifferscheid p. 228 sqq.): 'Tertius ventorum Auster plagae meridianae cardinalis, qui et Notus —.' Quatuor ventos supra nominatos etiam Seneca ipse versibus recenset loco consimili Nat. quaest. V, 16: 'Venti quatuor sunt in ortum occasum meridiem septentrionemque divisi. ceteri quod variis nominibus adpellamus his applicantur: Eurus ad Auroram Nabataeaque regna recessit (cf. Agam. 483 sq. Eurus orientem movet Nabataea quatiens regna et Eoos sinus) Persidaque et radiis iuga subdita matutinis. Vesper et occiduo quae litora sole tepescunt proxima sunt Zephyris. Scythiam septemque triones horrifer evasit Boreas: contraria tellus nubibus adsiduis pluvioque madescit ab Austro e. q. s.' Ad rem quoque facit Lucanus, tragici versus in suum usum convertens Phars. V, 598 s. q:

Inde ruunt toto concita pericula mundo:
Primus ab oceano caput exseris Atlanteo
Core movens aestus: iam te tollente furebat
600 Pontus et in scopulos totas erexerat iras
Occurrit gelido Boreas —
603 Sed Scythici vicit rabies Aquilonis et undas
Torsit et abstrusas penitus vada fugit arenas
605 Nec perfert pontum Boreas ad saxa suumque
In fluctus Cori frangit mare —
608 Non Euri cessisse minas: non imbribus atrum
Aeolii iacuisse Notum sub carcere saxi
610 Crediderim: cunctos solita de parte ruentis
Defendisse suas violento turbine terras e. q. s.

Versu igitur 481 ineptiarum plenissimo (nam et fieri Notum imbris gravidum absurdum esse Leo perspexit) e contextu descriptionis remoto et v. 475 A recensionis ope emendato hoc unum restat, ut v. quoque 485 cum A *revelli* (E *revellit*, id quod nimium est de uno vento dictum) scribamus, sublata plena quam post h. v. Leo posuit interpunctione. Iam nihil restat, quod in tempestatis descriptione vividis coloribus expressa merito vituperes:

undique incumbunt simul
rapiuntque pelagus infimo eversum solo
adversus Euro Zephyrus et Boreae Notus:
sua quisque mittit tela et infesti fretum
emoliuntur, turbo convolvit mare:
Strymonius altas Aquilo contorquet nives
480 Libycusque harenas Auster ac Syrtes agit,
482 imbre auget undas, Eurus orientem movet
Nabataea quatiens regna et Eoos sinus.
Quid rabidus ora Corus oceano exerens?
485 mundum revelli sedibus totum suis
ipsosque rupto crederes caelo deos
decidere et atrum rebus induci chaos.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf